



QUÆSTIO XXVIII.

An Abbatisa possit aliquid præcipere sub pœna excommunicationis, ac per modum legis, saltem ex potestate Pontificis?

SUMMARIUM.

- 76 De jure ordinariorum communis sententia est negativa.
77 An verò de potentia absoluta possit Papa, prima sententia negat.
78 Probabilior est sententia affirmans.
79 Variis modis hæc potest committi.
80 Officiales quando ex mandato Abbatisæ excommunicant hoc faciunt auctoritate superioris.

76. C. de Pœnit. D. Thom.

Communis responsio est negativa, & patet ex cap. de Pœnitentia, & remissione, Docet D. Thomas in 4. quæst. 1. art. 1. dub. 19. q. 3. ad 4. & distinct. 35. quæst. 2. artic. 1. ad 2. & ita communiter omnes Theologi; Abbatisæ enim non sunt Ordinis Clericalis, & non habent jurisdictionem spiritualem, cum non habeant potestatem Clavium, & ideo nec in foro interiori, nec exteriori possunt ferre censuras, nec præcepta imponere, quæ habeant vim legis & præcepti, sicut Episcopi, & cæteri Prælati Ecclesiastici.

77.

An verò Summus Pontifex possit de absoluta potentia committere jurisdictionem fœminæ ad ferendas censuras? Satis agitata est quæstio in materia de censuris ex Avila, ac aliis; negat Coninch, de Sacrament. disputat. 1. dub. 3. num. 35. & Diana part. 5. tract. 6. Resolut. 19. talis enim potestas mulieri repugnans est.

Avila. Coninch. Diana.

78.

Probabiliter tamen affirmant Paludanus, Ugolinus, Henriquez, Sayrus, quos citat ac sequitur M. Corneto in 3. pa. 1. tract. 5. de Cens. disp. 2. dub. 3. Suar. de Cens. disp. 2. sect. 2. n. 7. Præpositus in 3. part. quæst. 1. de Cens. quæst. 15. dub. 4. Bonacina disp. 1. de Cens. quæst. 1. punct. 2. num. 4. nam Christus Dominus dedit Petro, ejusque successoribus plenissimam potestatem ligandi, ac solvendi super terram. Deinde hoc nec repugnat juri divino, nec naturali, sed tantum Canonico, in quo Summus Pontifex potest dispensare; & de hoc latè Fragoſus de regimine intraduct. præmial. §. 2. n. 20.

Fragoſus.

79.

Notat tamen Suarius t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9. num. 15. præfatam facultatem variis modis concedi posse fœminis; nimirum ut directè, & ut per se id faciant; vel designando personam, quam Papa statim liget ad declarationem, vel voluntatem fœminæ habentis dictam facultatem; vel iis concedendo, ut per suos officiales possint censurare, quod est accipere potestatem censurandi, non à fœmina, sed à Papa ad mandatum, seu designationem fœminæ, & tales censurandi modi Abbatisæ possunt concedi.

80. Fragoſus. Megata.

Notat tamen Fragoſus tom. 2. lib. 11. disp. 24. §. 6. num. 18. & Megala verb. Abbatisa, num. 1.

Quod quando Abbatisa præcipit suis Officialibus, ut excommunicent, verbis gratiæ, debitoribus Conventus, quod tunc non agit propria auctoritate Abbatisæ, sed auctoritate Romani Pontificis, vel sui superioris, qui ad mandatum Abbatisæ, Officialibus dant talem potestatem.

QUÆSTIO XXIX.

Utrum Abbatisa possit dispensare cum suis Monialibus circa observantias regulæ, ac etiam circa leges Ecclesiasticas.

SUMMARIUM.

- 81 Prima sententia est negativa.
82 Secunda affirmat declarando præsentem necessitatem.

Quod Abatissa non possit dispensare cum suis Monialibus in præceptis Ecclesiæ, ac regulæ, ut verbis gratiæ, circa recitationem Officii divini, jejunia, ac esum carniū, tenent Sanchez tom. 2. in Decalog. lib. 6. c. 1. n. 24. Tamburin. tom. 4. disp. 3. quæst. 8. n. 1. Barbosa à S. Fausto in Thesaur. Relig. lib. 6. quæst. 44. Fundamentum est: quia dispensatio pertinet ad potestatem spiritualem, sicut dispensare in legibus civilibus, ad potestatem temporalem cum ergo Abbatisa tali potestate careat, non potest dispensare in talibus præceptis. Ita Pellizarius tom. 3. tract. 10. cap. 10. n. 133. & 138.

81.

Pellizari.

82.

Tamen opposita sententia mihi est vera, quia quando Abbatisa cognoscit necessitatem, debilitatem, aut aliam justam causam, tunc potest declarare hujusmodi jejunia, abstinentias, ac recitationem Officii non esse servandam, quia tunc hoc non est propriè dispensatio dimanans à jurisdictione spirituali, (cujus fœmina est incapax) sed Abbatisa de clarat, & judicat præsentem necessitatem, & causam, ad cujus judicium Papa, vel Superior dispensat: nam dum Abbatisa confirmatur à superiori, ei datur cura Conventus, ac Monialium, prout omnino expedit; atqui sæpè expedit, ac convenit talia præcepta non servari: ergo ad præsentiam talis necessitatis judicio Abbatisæ, Prælati dispensat: ut superiori quæstione in fine ex Suario diximus de designatione materiæ per respectum ad censuras; hæc nostram sententiam tenent, ac docent Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 2. num. 8. Henriquez Lezana tom. 1. cap. 26. num. 16. & verb. Abbatisa num. 14. Postel. in addit. verb. Abbatisa, n. 3. Hieron. Rodrig. Resol. 2. num. 13. Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 45. n. 19. Qui etiam adducunt quandam declarationem vivæ vocis oraculi Pauli III. pro Abbatisis S. Clara, in qua eis conceditur, ut possint cum suis Monialibus dispensare circa observantias regulæ, at hoc cum sit vivæ vocis oraculum non subsistit.

Quæ

QUÆSTIO XXX.

Utrum Abbatisa possit irritare vota suarum monialium.

SUMMARIUM.

- 83 Abbatisa potest irritare vota suarum monialium.
84 Non potest irritare votum transeundi ad arctiorem Religionem.
85 Abbatisa potest irritare vota supererogationis etiam sine causa.
86 At vota ex ejus licentia facta sine causa non potest irritare.

83.

Atentur omnes communiter, quod Abbatisa habeat potestatem suarum monialium vota irritandi; eo modo quo patet vota à filio emissa irritare potest, sicut & maritus, vota suæ uxoris. Et fundamentum est, quia omnes isti potestatem dominativam habent, imò & Abbatisa, ut multis placet, majorem auctoritatem habet dominativam in suis moniales, quàm Pater, & maritus, super filium, & uxorem, ita Emmanuel Rodrigue- tom. 1. quæstionum Regul. quæst. 25. Lessius lib. 2. de just. cap. 40. dub. 13. num. 107. Petrus Ledesma. Angles, Ovandus, Vivaldus, Suar. Sayrus, Sotus, Navarr. Lezana, quos citant, & sequuntur. Valquez 1. 2. quæst. 35. art. 4. disp. 176. c. 4. num. 26. Tambur. de jure Abbatisarum, disp. 32. quæst. 6.

Ledesma. Angles. Ovandus. Vivaldus. Suar. Sayrus. Navarr. Lezana. Valquez. Tamburi.

84.

Suar.

Angles. Sylveſter. Sotus. Navarr. D. Thom. Lessius.

85.

Irritatio autem ab Abbatisa præstita propriè dicenda est irritatio, ut advertit Suarez tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 7. num. ultimo, proindeque potest irritare vota suarum monialium omnia; excepto voto transeundi ad arctiorem Religionem, quod non cadit sub potestate dominativa superiorum Regularium: nam ipsis invitis impleri potest. Ita Angelus, Sylveſter, Sotus, Navarrus, D. Thomas quos citat, ac sequitur Lessius citatus n. 7. Nota tamen, quòd si moniales fecerint vota etiam supererogationis sine licentia Abbatisæ, non peccare Abbatisam illa irritantia, etiam sine causa, sicut nec peccant subditi moniales irritationem absque causa petendo, quia eorum votum sub illa tacita conditione factum est, si eorum vota Abbatisæ non irritaverint; ita Rodriguez tom. 1. quæst. 25. art. 7. prope finem.

Rodrig.

86.

Exinde bene sequitur, quòd Abbatisa peccet mortaliter vota irritando monialium de ejus licentia emissa sine causa, ut ex Caietan. Panormit. tenet Lessius citato cap. 40. dub. 13. num. 76. §. Peccabit tamen. Et ratio est, quia licet illa materia voti sit subjecta prælato, tamen ex ejus consensu est obstricta Deo; & inde Prælati non potest impedire, ne Deo offeratur promissum, sine causa.

Cajet. Panorm. Lessius.

QUÆSTIO XXXI.

Utrum Abbatisa suarum monialium vota possit commutare, ac dispensare.

SUMMARIUM.

- 87 Abbatisa, non potest dispensare, ac vota commutare.
88 Prælati Religionum possunt vota monialium commutare, ac dispensare.
89 Abbatisa declarando materiam dispensationis, Prælati censetur dispensare.

87.

Constans, ac communis est omnium ferè sententia negativa; & ratio est, quia commutatio, ac dispensatio dimanat à jurisdictione spirituali, cujus fœmina est incapax, ac proinde talis jurisdictioni ei competere non potest. Ita ex Soto, Covar, Lessio, Rodrig. Sayrus, Clavis Reg. Lezana, Barthol. Sanchez. tom. 1. cap. 26. num. 15. Barthol. à Sanct. Fausto lib. 3. quæst. 24. Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 39. num. 7. Qui addunt, quòd solum ex speciali privilegio Summi Pontificis, hæc jurisdictioni Abbatisis competere possit.

Sotus. Covar. Lessius. Rodrig. Sayrus. Clavis Reg. Lezana. Barthol. Sanchez.

88.

Certum est in hac re, quòd superiores, ac Prælati sub quorum obedientia sunt moniales, possunt eorum vota commutare, ac dispensare. Ita Sylveſter, Sotus, Richardus, Angelus, Palacius, Valentia, Lessius, Navarrus, Lopez, Toletus, Sayrus, Suar. Sanchez, quos citant, ac sequuntur Joannes Benedictus in Summa de peccatis, lib. 1. cap. 9. Tamburin. tom. 3. disp. 32. quæst. 7. num. 3. Quæ potestas est ordinaria; ac eis competit ex vi muneris, ac officii, Azor. part. 1. lib. 11. cap. 18. q. 4. Aragon. 2. 2. quæst. 89. art. 6.

Sylveſt. Sotus. Richard. Angel. Palac. Valent. Lessius. Navarr. Lopez. Toletus. Sayrus. Suarez.

89.

Ex his infero, quòd Abbatisa impropiè, ac indirectè potest dispensare, ac commutare vota suarum monialium, nam eis à superioribus traditur plenissima cura Conventus, & Abbatisa considerata hac, & illa circumstantia, & necessitate, potest juicere, ac declarare, quòd datur sufficiens materia ad dispensandum, ac commutandum; tunc stante hoc judicio censetur Prælati dispensare, ac commutare tale votum, ut ex multorum sententiis dixi quæst. 29. circa leges Ecclesiæ, ac regulæ, & Religionis.

Joan. Bened. Tambur. Azor.

QUÆSTIO XXXII.

Abbatisa tenetur in conscientia cogere moniales ad observantiam regularem, delicta punire, & ad indagandam veritatem potest juramentum adhibere.

SUMMARIUM.

- 90 Abbatisa ex suo officio tenetur punire delicta grandis nota, qua ad Prælatum spectant.